

8  
77



Original 00

**EST TIBI**


LECTOR BREVISSIMO COM  
PENDIO PER VLRICHVM

Hugualdum, unde hominum perdi  
tio, in quoq; sit eorum salus.

Quid verū, quidq; men  
dax in religione no  
stra sit.

Quod ego, si per quorundam uirulen  
tas linguas & per autorem liceret,  
diuinarum literarum magnæ  
partis ἀποκάλυψιν uo  
carem.

COCCINIUS DOGGIVS THE  
ologus, sed non papisticus, aut So  
phista, Lectori. S.

HRISTVM uere nos docturo  
Hugualdo uisum est legere Pauli  
ad Roma. & Gal. Epistolas, quidā  
ergo protestationē **MAGISTRALEM**  
exigebant, ne discederet a sacrosancta Roma  
na ecclesia. Sic em̄ per omnia cautus Sathan  
synagogis suis non omnino fidens, timuit ne  
aliquādo inueniretur, qui genuinum scriptu  
ræ sensum mendacijs & illusionibus suis præ  
ferret. At ille non posse testari aliud respōdit,  
nisi se non discessurum uel transuersum digi  
tum a Christo. Id quā feliciter & fideliter præ  
stiterit, nos ei testimonio fore speramus. Ta  
men si ager uitio suo fructum nō redderet, ut  
adpareat cuiusmodi semen fuerit, & ne nos in  
uideamus alijs quod ille nobis tradidit, ut pa  
ri fide alijs traderemus, nec aliud præmium  
postulauit aut oblatum accepit, Pronunciata  
communicamus omnibus, quibus nos e tene  
bris eripuit, quibusq; ad ueterem morem nos  
exercuit, plenis & integris orationibus decla  
mando, non ieiune & sordide Sophistarū mo  
re. Porro calūniari nemo potest hic quicq; nā

quum ædi hæc noluit, sed uiuo & copioso ser-  
mone alijs prædicari, Tum ex multis uix du-  
as aut tres disputationes hic uides. De uocati-  
one enim ad ministerium uerbi axiomata o-  
missa sunt, ut, Omnes uocatos diuinitus, qui  
Christi spiritu renati sunt, Illis ius imo necessi-  
tatem prædicandi, Nec unquam morandam magi-  
stratum uocationem, maxime ubi nihil nisi  
nomen Christianum habet. &c. Item, ommissa  
est disputatio de pace, Pacem externam, quam  
hactenus humanis rationibus docuerunt, men-  
dacium esse, ruere, ut experientia arguit. Pacem  
illam conscientie internam docendam, nam ita  
fore, his fundamentis iactis, ut illa externa ul-  
tro adijciatur. &c. Proposuitque nonnulla & de  
prædestinatione, Quam hic errent, qui expe-  
rientia & ratione colligunt adfectus suos non  
habere in potestate hominem. Nam & Plato-  
nem uidisse hoc, ait, dum in Timæo dicit, ne-  
minem sponte malum, sed malum cogi esse ma-  
lum. Rursum dicunt, quædam uideri in arbi-  
trio nostro esse, hos quidem propius ad ueri-  
tatem quam ulli alij accedere, ait, sed sic ratio-  
nari & diuidere non ferendum. negat simpli-  
citer nihil omnino non per deum agi, ut omnia  
sint ex ipso, per ipsum & in ipso. Nec sic argu-  
tari, ut se aliquando fecisse fateatur, permittit.

A ij

Esto dicter ratio ut hoc uel illud facias, obser-  
uanturq; magna ex parte inferiora rationi su-  
periori, tamē hac etiam superius quiddam est  
quod eam agit. &c. quæ oīa his adiunxissem,  
nisi maiorē tuæ utilitatis quā autoris noīs ra-  
tionē habuissem, nā nihil non ex his patebit.  
Et certus sum Hugualdū sic fieri uelle, q̄ ut ex-  
ecretur oīa hominū, q̄ nos a diuinis libris auo-  
cant, dici non potest. Alioqui nonnullorū ar-  
ticulorum adseritiōes addidissem. Ex quibus  
tamen aliquot, si deus ei unq̄ orium fece-  
rit, uoluminibus tractabit. Et nunc  
in medijs illis rerū, in quibus  
est, fluctibus de regno dei  
scribere meditatur,  
quod deus se-  
cundet.

Vale.

¶

PROPOSITIONES VLRICHI  
HVGVALDI.

- i. Ex ignorātia dei diffidentia uenit, quam sequitur inobedientia.
- ii. Nam si homines ex rebus creatis potentiam & bonitatem dei colligere possent, ei fiderent manerentq; in eo.
- iii. Hoc est esse in regno dei, obedire ei per omnia, ut ipse omnia in nobis operetur, neq; quicq; aliud uult sibi præceptū, Sabatum sanctifices.
- iiii. Regnum enim dei est ubi ipse regit.
- v. Et hic est deliciarū ille paradisus, in quo uere beati uixissemus.
- vi. In hoc dei regno q minor est, maior est,
- vii. Cuius nuditatis Heuam & Adam puduit post lapsum a simplicitate.
- viii. Quæ peruersitas & inobedientia deuenit in omnem Adæ posteritatem.
- ix. Et homo relictus iam suis consilijs, labit in quæstionem, ut sic dicam, ex quæstione, miseria in miseriam, cæcitate in cæcitatem, ex idolatria in idolatriam.
- x. Quod ē fructificare, ut Paulus dicit, morti, magis enim ac magis necessum est ut conscientia oneretur, etiā si nondum sentiat per carnem.

A iii

- xī. Vt autem infidelitas illa caussa est omnis  
cæcitat̄is,
- xij. Ita cognitio hęc dei & fiducia in eum mi-  
ram omnium rerum lucem præstat, iux-  
ta illud, qui crediderit ex illius uentre flu-  
ent flumina aquæ uiuæ. &c.
- xiiij. Ex his enim clarum arbitror ( pauca em̄  
indicabo exempli uice) flocco uno nō fa-  
ciēda omnia pelagianorum aut papisti-  
corū opera & merita, imo nihil æque ex-  
acerbare deum.
- xiiij. Claret q̄, Quis sit perfectionis status,
- xv. Nempe om̄es casus, mortem, uitam con-  
temnere, nūq̄ trīstari, quod facere nemo  
in ueritate potest, nisi qui deum omnia  
agere nouit, fert q̄ ex animo eius uolun-  
tatem. Nec enim ad medullam euāgelij  
uenerūt qui uolunt ex promiss. dei, fidē,  
ex hac amorem propter benignitatem,  
ex hoc opera & uitā. Hoc est enim spes  
præmiij, & ex natura, & per hoc peccatū.  
&c. quin oportet ut sciat deum etiam in  
inferis regnare, susq̄ deq̄ ferat aspera &  
prospera, uitam & mortem. &c.
- xvi. Item uidemus, quam uere dictum sit, o-  
mnia obedire deo, præter hominem im-  
pium & diabolum.



xvij. Maximamq; inobedientiam esse obe-  
diētiā, quam hodie in papistico regno  
iactant.

xviij. Deo enim se subducunt, ut paulo post  
dicam, qui se deuouent & addicūt uni ui-  
tæ generi, & quibuscunq; traditionibus  
hominum.

xix. Nec est autem q̄ quisq; hoc nomine dei  
leges notet, quæ non ulli rei nos adligāt,  
ut quæ totam uitam iustā hominis com-  
plectuntur.

xx. Tulit em̄ eas deus nullā ob aliā causam  
nisi ut errores & corruptionem ostende-  
ret populo quem peculiariter dilexit.

xxi. Sed non magis effecit, quā potiones seu  
pharmaca illa medicorum quibus exci-  
tant quosdam morbos & dolorē augēt,  
neq; sanarent nisi alia accederet medici-  
na. Nec enim potuit in uia reducere ho-  
mīes lex infirmata, scilicet carnis nostræ  
corruptione.

xxij. Papæ regnum igitur nō potest non esse  
ex diabolo, solus enim regnare debet  
deus, nec eget papa q̄ uniuersa quasi pu-  
gillo continet,

xxij. Ex hacq; luce adparet, quid sit, gloriā  
deo dare, quid sit, omnes egent gloria dei,

A iij

quid ueritas, quid iustitia, &c. in plerisque  
scripturae locis, quae omnia impii sophistae  
theologastri & frigidi hodie quaedam gram-  
matici, columna ecclesiae scilicet, interpre-  
tati sunt primas omnium uirtutum, uir-  
tutes intelligentes ut philosophi.

xxiiij. Et ex hac reru ueritate intelligimus,  
somnia esse poetarum & philosophoru  
aurea illa & argentea antiqua secula.

xxv. Quamprimu enim aberrauerunt a deo  
nihil boni reliquum prorsus fuit.

xxvi. Quæri & cogitari potest an sint ante  
Christum in gentibus aliqui seruati, quæ  
deum cognouerint ex creatione mundi,  
seque illi regendos permiserint.

xxvij. Certe omnes creature, ut Christus nos  
& aliorum fides, iudicabunt gentes ubi  
ubi sint.

xxviij. Et damnabunt iusto iudicio, quibus  
in oculis mirabilia dei, & opera ad ma-  
nus, quae annunciant deum,

xxix. Idque adeo ut nulla gens tam fera inue-  
niatur, quae neget deum esse.

xxx. Negari non potest ante Christum ex  
Israel multos saluatos,  
sed omnes singulari dei erga eos fauore,  
quid enim illic miraculorum omissum est?

frequenter adlocutus est, duxit per columnam ignis, conuerso mari in aridam, per legem, iustam rectam naturalem uitam hominis & uoluntatem suam, docuit, adeoque sunt qui dicunt, in solo Christo saluatos, quicunque unquam saluati sunt, ut in illa promissione, Et semen tuum conteret caput serpentis. quam denuo deus Abrahamæ repetit, Et in semine tuo bene. &c. & omnibus miraculis Christum figuratum, ut petra illa in deserto, quæ potauit israel, &c. itaque etiam ante Christum natum omnes per Christum seruatos. &c. alioqui obdormierant ad illa dei opera quotidiana, ut gētes, nec unquam diu sic reuersi manserunt in eo.

xxxix. Si Adam ergo ipse primus non fuisset transgressus, posterum non diu obfirmassent in deo.

xxxix. Vt restat, præter alios, locus ille Gene. Dixit deus, non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est.

xl. Tantus est superbus ille carnis affectus, quo presentibus non sumus contenti, & nostra nobis magis placet, fons mali.

xli. Qua carnis corruptione & ultimum illud incomparabile miraculum dei, Christi

A v

- stus, a deo infirmatum est, ut ad hodie-  
num diem mundus pertinax & ferreus in  
infidelitate & inobedientia perseueret.
- xxxv. Eoq; inobedientię uenit, maxime sub  
abominatiōe illa Romana, ut resipiscen-  
tię spes nulla sit.
- xxxvi. Sed sic fit, quo nostra iniquitate dei  
tollerantia & misericordia commendati-  
or reddatur.
- xxxvii. Ceterum dominus abbreviabit uer-  
bum suum, & in nouissimo hoc miracu-  
lo, Christo, omnes reliquias saluabit, eti-  
am si fuerint multiplicatę super harenas  
maris.
- xxxviii. Estq; futurum ut non necessitas sit,  
proximū indicare proximo deum, omnes  
enim eum cognoscent a minimo usq; ad  
maximum, omnes erunt θεοσι λακτοι.
- xxxix. Quemadmodum enim Adam inobe-  
diens, uniuerso generi humano autor fu-  
it inobedientię, peccati, & mortis,
- xl. Ita Christus primogenitus noui populi  
obediens usq; ad mortem, & crucis mor-  
tem, a deo ordinatus est autor omibus,  
obedientię, iustitię & uitę.
- xli. Omniaq; subiecit deus Christo, quanq̄  
hodie adhuc nihil adpareat ei subiectū,

non tantum non omnia, vt quidam ca-  
lumniantur.

xliij. Idcirco nō sine diuino spiritu institutum  
est, q̄ pueri statim nati baptisantur,

xliij. Cur enim non omnes ab utero matris  
in deum pron̄ciamur per Christū, ut per  
Adamum in diabolum? cum teste Pau-  
lo Roma. v. donum in Christo efficacius  
delicto in Adamo sit.

xliiij. Quare uehementer errāt, hoc loco, qui  
uelint nullos baptisari, nisi qui credūt &  
iam parati sunt Christum assumere. qui  
mos olim fuit philosophorum sectis.

xlv. Imo nulli ætati, ut minime intricatæ ma-  
lis hominum artibus, magis cōuenit ba-  
ptismus.

xlvi. Quid enim significatur baptismo aliud  
quam morte & resurrectione Christi?

xlvij. At quid Christus moriens uoluit, nisi  
& nos mori huic malo seculo? & quid re-  
surgens, nisi nos resurgere in nouitate  
spiritus?

xlvij. Hoc est enim ostium per quod ingre-  
diendum in spiritus diuini regnum, istac  
q̄ se iubet sequi Christus.

xlix. Hanc renouationem, resurrectionem  
carnis, licebit uocare, nā anima ratioq̄

breuiter totus homo noua creatura factus, ita in spiritu ambulat.

- i. Vt Christus post mortem & resurrectionem in spiritu ambulauit.
- ii. Hic homo tantum confirmatur quantum Christus infirmatus est, adsumit diuinitatem ut Christus humanitatem, fit quodammodo deus & homo, ut Christus primogenitus multorum.
- liij. Et nisi per hanc uiam ad ascensionem Christi non magis peruenire possumus, quam uiuere in festo ascensionis, & non passionis tempore uixisse.
- liiij. Non quod tanta patienda sint antequam renascamur, imo si quis sine omni cruciatu omnibus renunciare potest & animam perdere, optandum, ut optimum, est.
- liiij. Nec enim passiones illae quicquam merentur, ut nugatur pelagianorum, sophistarum uel uulgi.
- liiij. Quemadmodum uero in caelo Christo aequari nemo potest, ita hic in regno dei, post illam resurrectionem, nemo sine omnino carnis tyrannide, ut Christus, uere potest.
- liiij. Qui sic perdunt animas, ut possideant eas immutantur & resurgent, Ve ijs, qui tan

- tum resurgent, & non immutantur simul.
- lvij. Ita semel ad deum reuerti, uere penitentia est, quam uocant Græci minus obscure μετάνοια.
- lvij. Nec est quicquam aliud quod exigat deus.
- lix. Sic renato mors amplius non dominabitur, Roma. vi.
- lx. Angusta quidem est uia illa in regnum dei fortiter enim hic pugnandum antequam natura confundatur & confringatur quasi uas figuli.
- lxi. Et hoc est purgatorium, quod solum non uit scriptura.
- lxij. Iam intelligimus uere dictum, oportere omnes homines regnum dei per purgatorium ingredi, præter infantes.
- lxij. Veræ fidei spiritu e medio sublato, a deo non intelleximus illa (sicut alia omnia) ut in incomparabilem & iocularem cecitatem abominandamque idolatriam, scilicet cerimonias illas pro uita defunctis, lapsissimus.
- lxij. Illi illi sunt, qui purgatorium prætexerunt quæstui.
- lxv. Pseudochristi dicentes, Ego sum Christus, sua enim opera uendunt, mortuis &

μετάνοια

uiuis pollicentur coelū suis meritis. quod  
quid aliud est, quam se Christum facere,  
qui solus nostra est satisfactio?

**lxvi.** Qui mundum a deo seduxerunt, ut a ne  
mine sperari possit, in perditionis illo re  
gno aliquos seruatos.

**lxvij.** Quis enim abominationem illam des  
olationis, quam nuper tādē uidere in  
coepimus sedentem ubi minime oportet  
bat, contemnens, agnouit deum & in eū  
translatus est?

**lxviij.** Omnes sperauerūt in Antichristi bul  
las, opera & merita impiorum militum  
antichristi super bullas ædificata,

**lxix.** Quæ quam ruāt irruentibus uentis, bul  
læ uocabulo uidetur mihi significari.

**lxx.** Spei non nihil esset in ultimo articulo uī  
tæ, incipiente conscientia, non fundata su  
per Christum firmam petram, sentire iu  
diciū, iram dei & confusionem, non o  
mnes desperasse, sed, labefactis operibus  
& meritis nostris, aliquos deū apprehen  
disse.

**lxxi.** Nō enim negare possem, si quis conten  
deret, iustissimum. i. impijssimum operū  
hypocritam hoc modo, iam iam moritu  
rum, ad deum posse conuerti.



lxxij. Nam fieri potest ut iā credat infirmatus, etiam si ante nullis angelis cessisset.

lxxiij. Quamq̄ mihi rei naturā propius contemplāti plane uideatur impossibile, ut enim fructificant magis ac magis morti, dum in creaturis & operibus proprijs requiem quærūt & nusq̄ inueniunt, & odientes deū incipiunt iram eius sentire, Ita timendum est, hanc conscientie carnificinam & damnationem, sicut cœpta est, in fine perfici.

lxxiiij. Infernus namq̄ nihil est, q̄ conscientie confusio, pauor, angustia, mors, indignatio & ira dei quā hominis anima sentit in fine intelligens infidelitatem & inobedientiam & uitam suam præter naturā actam.

lxxv. Hanc pœnam ignis consumentis natura nobis scriptura utcunq̄ declarat.

lxxvi. Videmus hic qd sit ira dei, alioqui em̄ deus ullis p̄turbationibus obnoxius est.

lxxvij. Spei, inquam, esset non nihil tamē, nisi satan & hic etiā uigilaret, peneq̄ omnibus morituris sacrifici & monachi, hoc est ipsissimi diaboli, adessent, & miseros deo ad sanctos, bona opera, ad suas ceremonias abducerent.

**lxxviiij.** Si quis igitur seruatus est, oportet ut  
& solus mortuus & peccator sibi ipsi aliis  
que habitus sit, ut ei nihil fuerit ad quod  
confugeret, præter deum.

**lxxxix.** Sic semper peccatoribus, stultis, pau-  
peribus, facilius est regni dei aditus, cum  
iustis, sapientibus, diuitibus clausum sit,  
nec enim facile in nihilum redeunt, & sua  
illa amittunt.

**lxxx.** Ideo Christus elegit mundi huius par-  
ua, humilia ut magna, infirma ut fortia  
&c. confunderet.

**lxxxxi.** Quare & hic impietas suis uiribus ni-  
rens in lapidē offensoriū illū impingit.

**lxxxxiij.** Hæc est sapiētia quam Christus reue-  
latam paruulis gratulatur, celatam uero  
pietatis & sapiētiae persuasiōe turgidos.

**lxxxxiij.** Cogitat enim & dicit cæca impietas,  
ingeniosa, ut sibi uideat, An non uno mo-  
mento diuina potentia uniuersum mun-  
dū, cui rā bene uoluit, saluare potuisset,  
si essent ei curæ res humanæ? Quid opus  
fuit his lusibus, ita abiicere & humiliare  
filium suum?

**lxxxxiij.** O blasphemam cæcitatē, quæ non  
cogitat quam mirabilis sit deus in mini-  
mis operibus, ut quare a uibus parturi-

enda oua, deinde incubanda, postremo  
excudenda. &c.

lxxxv. Num deus non potest (ut Esaias fu-  
rurum testatus est) uerbo suo in homines  
uti, ut fructificent, non aliter atq; niue &  
imbre in terram?

lxxxvi. Ita etiã in scripturis hyemi lex, æsta-  
ti gratia cõparatur. psal. ante faciem fri-  
goris eius q̄s sustinebit. Flabit spiritus  
eius & fluent aquæ.

lxxxvii. Adeo igitur opera dei homines suis  
posthabent, prorsusq; negligunt. ut ma-  
ximum opus, imo deus ip̄e, Christus, eis  
res abiectissima sit.

lxxxviii. Cum autem duo officia omnium  
operum dei uideantur, nempe ut bonita-  
tem eius nobis commendent, & potenti-  
am ostendent,

lxxxix. In Christo utrunq; perfectissime ha-  
bemus, Primũ tradidit filium suum pro  
nobis, quo benignitatẽ suam erga omes  
notissimã uoluit, Deinde excitauit mor-  
tuum discerptum & crucifixũ, glorifica-  
uitq; reputatum inter ultimos peccato-  
res, quo nimirũ notam uoluit potentiã.

xc. Adhuc non fidimus deo, ut reuertamur,  
quinimmo contemnimus & blasphema

B

mus hæc eius facta.

- xcj.** Nec his contētus, nec sic enim exigit per omnia perfectam obēdentiā, condonat enim infirmitatem carnis.
- xcij.** Injūctū nobiscum pactum iniquū, quando æquo, quale exigebat lex, pares esse non potuimus.
- xcij.** Saltem nō regnet peccatum, qualecunq; sit opus aliquādo, modo credamus deum ita uelle & per hoc ei placere, hanc fidem imputabit nobis pro obedientia & iusticia perfecta,
- xciiij.** Quæ plane damnari meretur, si exigas ad perfectam obedientiam.
- xcv.** Fertq; nos, ac meretricem & pauperē, gloriari omnia accepisse in Christo, ceu nobili & opulēto sponso. nec amplius intelligūt uel certe docēt, qui hodie rectissime euangelium docent.
- xcvi.** Hæc est stulticia per quā opt. max. deo uisum est nos saluare, quādo per sapientiam fieri non potuit.
- xcvij.** Nec patiar alio nomine Christū uocari stultitiam, quod per quosdam fit.
- xcviij.** Ex hoc ramentum est spiritus sanctificationis, quanq̄ dum uiuimus caro ægre trahenda & mortificanda sit.

- xcix. Id quod mactandis olim pecoribus figuratum est.
- c. Hoc est unicum & solum Christianorū sacrificium.
- ci. Cerimonię huius sacrificij nullę sunt prorsus, quam laus dei & charitas proximi.
- cij. Quę ita necessario spiritum sequuntur, ut spiritus fidem, fidesq; euangelium,
- cij. Nam euāgelium, ueritas, fidei est quod generationi essentia.
- ciiij. Fitq; ut in euangelio spiritus sit, ut in sole calor.
- cv. Itaq; homo ex diuino fidei spiritu factus diuinus,
- cvi. Non potest se non difundere in charitatem omnium, ut deus.
- cvij. Qui ita deum cognoscit nō potest eum non amare,
- cviij. Qui eum amat summā rationem amati uoluntatis habet, a deoq; die ac nocte meditatur in lege eius, ne displiceat.
- cix. Ut lucerna pedibus eius sit uerbum dei, ut totus habet psal. cxviij.
- cx. Magno enim emolumēto sunt spiritui nostro scripturę præsidia, maxime in tanta carnis corruptione.
- cx. In scriptura enim legeue dei ostenditur

B ij

*Optimo v. 10. 11. 12.*

perfectissime, ut a deo, in quo consistat  
recta & iusta hominis uita.

**cxij.** Ergo qui scripturæ addunt vel adimunt  
aliquid, impie agunt, eamque corrumpunt  
& subuertunt.

**cxij.** Ut, exempli gratia, in eucharistiæ insti-  
tutione est factum.

**cxiiij.** Homo si gramē, florem uel folium ar-  
boris scinderet, periret. At quantulum est  
folium, ad sacramētum illud tam rarum  
& singulare opus dei.

**cxv.** Nec sunt audiendi loquētes in hypocrī-  
si mendacium, qui dicunt, ut alia dei ope-  
ra iuantur per mortalium industriam,  
Ita & hic iuari legem & instituta dei.

**cxvi.** In omnibus creaturis mortalitas in su-  
am perniciem ingeniosa est, Ita hic etiā.

**cxvij.** Summa est libertas lex diuina, nam est  
uia per quā ultro ducturus erat nos dei  
spiritus,

**cxviij.** Ut elementorum necessitas uolunta-  
ria est, quæ sponte ad sua feruntur loca,  
quia in uia naturæ manent.

**cxix.** Illa libertate prorsus opus est.

**cxx.** Hominem autem leges alligant locis, per-  
sonis, cibis, operibus, contra deum ergo  
sunt.

- cxxi. Sequiturq; quod deo se subducit qui se  
deuouet uni uitæ generi aut operi,  
cxxii. Sibi ipsi rex est & per hoc deus, Idola si  
bi facit qui se regant.  
cxxiii. Opera omnia carnis nostræ. i. ratiōis  
cōsilio facta, tā curat deus quam sol ope  
ratur in his quæ homo fingit manibus  
suis ad similitudinem rerum uerarum.  
cxxiiii. Oportet ut uiua arbor fructum ferat,  
quæ agat a deo, nostræ inuentiones sunt  
sicut poma affixa spinis, ludus.  
cxxv. Quemadmodum homo potest quidē  
aliquid fingere, ut florem aut lumē. &c.  
sed nihil uitium habet, Ita opera nostro  
arbitrio facta mendaciū sunt. quanq̄ nō  
raro ueris magis fulgeant.  
cxxvi. Vt in inefficacibus rasis & unctis lar  
uis papæ probatur.  
cxxvii. Facessant ergo papisticæ abominan  
dæ abominationes, quæ uerum cultum  
dei extinguunt,  
cxxviii. Nam ab illa fidei latria desciiuit po  
pulus, a ueritate ad mendacia, a salubri  
bus, ad, carni male adfectæ, dulcia, nō ali  
ter, atq; olim græcus & Romanus popu  
lus, ludis, quos cœperant aliquando spe  
ctare, & non, ut erant tēpora, inutilibus,

B iij

*Capitulum Vltimum*

desertis, ad ridicula & stulta multisq; mo-  
dis pestilentia ruebat.

**cxix.** Sicut enim quoties Israel conuersus  
est ad creatorem semper ad creaturas re-  
lapsus est, Ita nos a Christo, a patrum fi-  
de, ad eorum opera lapsi sumus.

**cxix.** A deo procliuum est deorsum cadere.  
A deo grauis est caro, quæ ita spiritū ad  
terram rapit & extinguit, ut lignū in al-  
to incensum rapit secum flammā, quan-  
tumuis ad supera tendat.

**cxix.** Atq; nouissimo hoc nigerrimo tēpo-  
re error ille signis & portentis stabilitus  
est, ut electi etiam in errorem tracti sint.

**cxix.** Quemadmodum enim homicida ille  
iuxta murum ruinosum iacens, admo-  
nitus in somno a deo quopiam, ut crede-  
bat, ut surgeret mutaretq; locum, uix be-  
ne recesserat, uetus ruit murus, Putabat  
ergo deos gaudere huiusmodi cædibus,  
& pgebat quosuis sibi obuios occidere,  
Ita satan stabiliturus sacrilegam in eccle-  
sia operum idolatriam, finxit cum uiuis  
animas loquentes, se, uel omissis illis ope-  
ribus & ceremonijs damnatis, uel serua-  
tis saluatas.

**cxix.** Quare sicut uehementer errant qui



febre laborantes propter nimiam imple  
tionem, magis ac magis implēt, ac sic fir  
miores reddi credūt, ut uulgus nostrum  
stultissime facit, cū essent ieiunio & pur  
gationibus exinaniendi, Simili insania  
homines infinitis questionibus & errori  
bus inuoluros perdunt, dū opera decēt,  
hoc est magis ac magis intricāt, cū essent  
exhortandi ad se abnegandum.

**CXXXIIII.** n̄ enim in omnibus requiē quærūt,  
in nullo inueniunt, ut febricitantes, cibū  
loca, lectos mutāt, sed nullo modo conti  
git quies, nisi excoctis superfluitatibus  
sanati fuerint. tunc enim in labore, fame  
& siti, in æstu & frigore. &c. requiem ha  
bent, Ita Christus seu fides reficit nos, ut  
in omnibus requiem habea  
mus, etiam in media  
morte. &c.



**ANNO M. D. XXII.**  
**IVNIO MENSE.**

*Casparus Müller*

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and is significantly faded.


ANNO M. D. XLII  
JANUO MBSH




66977

AB 66977

(X 1978936)





**EST TIBI**  
LECTOR BREVISSIMO COM  
PENDIO PER VLRICHVM  
Hugualdum, unde hominum perdi  
tio, in quoq; sit eorum salus.  
Quid verū, quidq; men  
dax in religione no  
stra sit.  
Quod ego, si per quorundam uirulen  
tas linguas & per autorem liceret,  
diuinarum literarum magnæ  
partis ἀποκάλυψιν νο  
scarem.

